

subjungunt. Nunc autem *Pod. Meyeri* C. Koch ob caulem erectum, fere pedalem (Walp. Annal. bot. II. p. 959) a planta Raddeana separandum esse opinor.

328. *TRAGOPOGON PUSILLUS* M. Bieb. — Ledeb. Fl. ross. II. p. 789.

In Armenia, ad thermas Isti-su.

In speciminibus Raddeanis, prope Isti-su decerptis, quae caeterum *Trag. pusillo* M. Bieb. omni ratione simillima, achaenia (ni fallor, nondum prorsus evoluta) breviter rostrata; e contrario in *Trag. pusilli* M. Bieb. specimine fructifero, a Radde anno 1865 prope Borshom lecto, achaenia longe rostrata, rostro achaenium aequante.

329. *SCORZONERA LATIFOLIA* Dec. — Ledeb. Fl. ross. II. p. 797.

var. typica Trautv. herba tota pericliniisque magis minusve tomentosis.

In Armenia, prope pagum Bitschenach et in tractu pascuo Kasikibaran.

var. glabrata Trautv. caule apice, foliis superioribus et periclinio glabratis.

In Armenia, in tractu pascuo, Kasikibaran dicto.

Praeterea species haec variat foliis vel ovato-ellipticis, vel ovato—lanceolatis, vel denique oblongo—lanceolatis.

330. *LACTUCA VIMINEA* C. H. Schultz. — Ledeb. Fl. ross. II. p. 804.

var. leucocarpa Trautv. achaeniis albidis, rostratis?

In Armeniae tractu pascuo Kasikibaran.

Lactuca viminea C. H. Schultz typica, qualem e Tauria possideo, achaeniis atris et longe rostratis excellit. Planta Raddeana solummodo achaenia immatura, albida (nec brunnea nec nigra) et apicem versus quidem attenuata, tamen neutiquam manifeste rostrata, offert et ad *var. erostrem* Regel (Bull. de la Soc. des nat. de Mosc. 1867. № 3. p. 172) adpropinquat; propius tamen ad

Lact. vimineae specimina alia Szovitsiana, prope Nachitschewan lecta, quae in herbario Horti botanici Petropolitani exstant et achae-
niis maturis aequae albidis, sed manifeste rostratis, gaudent, acce-
dere videtur.

331. *CHONDRILLA JUNCEA* L. — Trautv. in Bull. de la Soc. des
nat. de Mosc. 1866. № 2. p. 384.

var. typica Trautv. caule apice ramisque glabris; foliis
caulinis lineari — filiformibus, integerrimis; periclinii
foliolis non hispidis.

In Armenia, prope pagum Achuri.

var. spinulosa G. Koch. Syn. Fl, germ. p. 493. caule
apice ramisque glabris, foliis caulinis oblongo — vel
lineari — lanceolatis, magis minusve spinuloso—den-
tatis; periclinii foliolis dorso non hispidis.

In Armenia, in montis Ararat majoris pylis Göduk.

var. canescens Trautv. l. c; caule apice ramisque ca-
nescenti—puberulis; foliis caulinis oblongo—vel line-
ari-lanceolatis, magis minusve spinuloso — dentatis;
periclinii foliolis dorso non hispidis.

In Armenia, ad custodiam Burlan.

332. *TARAXACUM MONTANUM* Dec. — Ledeb. Fl. ros. II. p. 811.
In Armenia, prope pagum Bitschenach.

333. *TARAXACUM CREPIDIFORME* Dec. Prodr. VII. I. p. 149.

In Armenia, in montibus Alagös et Ararat majore (ad lacum
Küp-göl), nec non in districtu Karabach, in monte Kapudshich.

Glaberrimum; folia integra, parce et minute denticulata; peri-
clinii squamae ecorniculatae, exteriores lanceolatae, subscariosae,
adpressae; achaenia laevissima, sensim in rostrum brevissimum
attenuatae. — Species haec intra Rossiae fines antehac non indi-
cata. Plantam Aucherianam, ad quam De Candolle speciem consti-
tuit, ut conferam mihi non contigisse valde doleo.